

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

9. Confessarijs, cum pœnite[n]tibus, paternè agendum esse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

444Cz. XLIII. Omnes ad pœnitentiā & gratiarū actionē vocari.

ad ipsum malitiæ barathrum deuenerunt. Alij rursum illinc ascenderunt in cœlum, & ex orchestra, ad Angelicam migravere conuersationem; & tantam virtutem exhibuerunt, ut expulerint demones, & alia multa ficerint signa.

IX.

Sed neque Confessarios non compellat vtraque hæc historia monéntque, vt se Patres esse, aut paternos iudices oportere, reminerint. Si Dei vices agunt, Dei clementiam imitentur, neque sint in homines, homines ipsi, Conditore suo immittiores. Sciant se quoque iudicandos. Qualem ergo ipsi cupiunt habere iudicem Deum, tales & ipsi se iudices exhibeant. Quid medicus prodest, qui vulnera non sanat, sed exasperat? & plagar detegenti plagar accumulat? Itaque qui paternè vult agere cum pœnitente, contritionem eliciat, non indignationem: in spem peccatorum erigat, non conijciat in desperationis abyssum. Et si enim nonnullis in saxum induratis malleo opus est, vt contentantur, cum quibus si leniter agas, laudare eos videberis, & in peccatis confirmare; qui vtique fortiter tangendi sunt, vt, per callum, dolorem persentificant: sunt tamen alij, qui acri monitione penitus franguntur, quos quocunque flectas, si diuini amoris ac misericordiæ adhibeas suavitatem. His & concionator, & confessarius Deum iustum quidem, sed, in hac vita maximè, clementem ante oculos ponat; illum nempe Deum, qui vocat auersos, donat peccata conuersos. patiens est super peccatores, donec in Psal. 32. conuertantur. Quandocunque conuersi fuerint: præterita obliniscitur, futura promittit. Hortatur pigros, consolatur afflictos, docet studiosos, adiuuat dimicantes, neminem deserit laborantem & exclamantem ad se: donat unde sibi sacrificetur, ipse tribuit, unde placetur. Hoc magnum misericordiæ tempus, non nos transeat. Venturum est enim iudicium. Et tunc erit pœnitentia, sed infructuosa. Huiusmodi conciones, hamus sunt, quo trahuntur etiam in magno peccatorum pelago natantes: prunæ sunt, quibus bona indoles liqueficit: flammæ sunt, quibus etiam frigida corda incenduntur.

X.

Quis beneficium nouit, & non amat? Quidquid huc usque laboratum est, laboratum est, vt Deum bonum, iustum, misericordem, facientem omnibus bene, nosceremus. Vel Seneca hunc ex hac notitia fructum agnouit: nam contra Epicurum disputans, qui Deum non esse de nobis solicitum, nec conferre nobis